

aus aufgefundenen Bruchstücken von de Rossi, Inscr., T. I, p. 102, 192:

Ἐν εἰρήνῃ ἀνεπάη Βενενατὸς etc. Θεόφιλα ἐποίησα συμβλῶ φ
BENENATO THEOFILA FECIT VXOR EIVS.

In allen jenen Fällen aber, wo ejus allein gesetzt ist, steht es keineswegs elliptisch, sc. uxor, maritus, filius; sondern ejus gilt als pronomen possessivum, es heisst: seine Felicitas, — ihr Vitalis, — ihr Emelius. Derselbe Sinn, in welchem auch allein suus steht (wo eine solche Ergänzung noch weniger angebracht wäre), wie in einer heidnischen Inschrift aus Benevent, die auch eine Felicitas aufweist, bei Mommsen, IRN. 1537 und CIL., T. IX, p. 164, 1729:

P. AELIVS . VENERIANVS || HOC . VAS . DISOMVM . SIBI . ET
FELICITATI . SVAE . POSVIT etc.

Auch die doppelte Benennung in der eben erwähnten Inschrift des vatikanischen Museums in pace — cum ejus Piperusa jugali ejus widerspricht der Annahme einer Ellipse. Denn wenn zu Piperusa zu ergänzen wäre uxore, bedürfte es zu der Erklärung nicht des Zusatzes jugali ejus.

2.

Eine neue Handschrift der Vita S. Feliciani.

Mitgeteilt

von

Dr. Eduard Bodemann.

Über das Leben des Felicianus, des Bischofs von Foligno in Umbrien, des bekannten Märtyrers unter Kaiser Decius, haben wir bisher nur den Bericht der Bollandisten in den Actis Sanct. II, p. 583 ff. aus alten Handschriften der Kirchen zu Metz und Minden, wo Reliquien des Heiligen aufbewahrt wurden. In einem, aus dem St. Bonifatius-Stift zu Hameln stammenden Missale des 14. Jahrhunderts in der Kgl. öffentl. Bibliothek zu Hannover (Cod. ms. membr. in 4^o, saec. XIV, N. I, 101^o) fand ich die nachfolgende Vita, welche von jenen beiden der Act. SS. viel-

fach abweicht, wie die in den Noten angegebenen Varianten zeigen.

Hinzugefügt habe ich noch aus demselben Codex zwei Lieder „de sancto Feliciano“ und ein vortreffliches, bisher unbekanntes Marienlied.

De sancto Feliciano ¹.

² Lectio I. Tempore quo Gordianus cesar imperii romani arcem tenebat, beatus Felicianus civitate Fulginea oriundus per quedam Ytalie loca enutritus claruit. Qui cum delatus esset a parentibus Christum colentibus ad forum Flaviense, cepit in Dei fide tanta religione pollere, ut perpauci ³ imitari valuissent. Nam cum Romam adiret ob studium litterarum: ecclesias locaque ⁴ sacra divino ⁵ cultui mancipata magis lustrabat quam doctorum aliorum gymnasia. Quem ⁶ cum vidisset beatus Eleutherius, apostolice sedis presul, Domini ⁷ plus obsequio deditum, quam studio secularium litterarum: nitebatur pio affectu, per ecclesiastica erudimenta eum perducere ad summam sacerdotii dignitatem. Precepit itaque Victori, archidiacono suo, ut eum inter discentes sancte matris ecclesie alumpnos constitueret Cristique imbueret fide atque docmate ⁸. Qui patris edicta adimplere toto conamine procuravit.

Lectio II. Post aliquantum ⁹ vero temporis beatus Felicianus baptismate Cristi illustratus eiusque doctrina imbutus atque sacerdotii dignitate sublimatus: rediit in patriam. In qua cepit Christum libera voce predicare multosque ad fidem ¹⁰ eius convertere. Ipsa vero patria cultui demonum dedita, Cristi fidem ¹¹ omnino nesciebat. Nam per totam Tusciam ¹² et usque Pyscenum ¹³ sacerdotii nomen habebatur ignotum: eo quod nullus Cristi sacerdos illas adiret ¹⁴ partes. Receptus est itaque beatus

1) Von hier an AA. SS. Boll. II, p. 583: ex lectionibus antiquorum breviorum ecclesiarum Hamburgensis et Mindensis.

2) fol. 36.

3) eum zugefügt AA. SS.

4) ac loca AA. SS.

5) cult. div. *ib.*

6) Quaeem *ib.*

7) divino *ib.*

8) dogmate *ib.*

9) Postquam aliquantulum *ib.*

10) ei. *fid. ib.*

11) omn. *fid. AA. SS.*

12) Thusc. *ib.*

13) Picenum *ib.*

14) sic *cod.*; adierat AA. SS.

Felicianus a civibus suis cum ingenti honore et in episcopum electus Romamque transmissus, ut a sancto pontifice Eleutherio consecraretur. Qui cum Romam veniret, reperit eundem pontificem de seculo migrasse ad Dominum locoque eius Victorem archidiaconum constitutum. Cum autem vidisset eum ipse pontifex, plurimum gavisus est, mox intelligens, ob hoc illum sibi directum fuisse a civibus, ut episcopus, ¹ Domino annuente, consecraretur. Quem gratuita benedictione, gracia sancti ² Spiritus cooperante, episcopum consecravit eumque ammonuit, dicens, ne a verbo predicacionis umquam cessaret.

Lectio III. Reversus igitur ad patriam cum magno honore atque ineffabili leticia susceptus est. Tunc primum civitatem Fulgineam, a qua originem duxit, sua predicacione illustravit et ad credulitatem fidei cristiane convertit. Postmodum vero cuidam viro nomine Spetio, Dee Veste atque Mercurii cultori, ianuam veritatis aperuit dominoque Iesu Cristo credidit. Bebaniam quoque civitatem, comitantibus plurimis, qui eius verbum predicacionis iam acceperant, sine difficultate aliqua ad Cristi ³ fidem convertit. Asesina ⁴ autem civitas cultui Iovis dedita verbum ⁵ eius recipere nolebat. Cui dum frequenter verbum predicacionis funderet, quidam Lucius, ydolorum ⁶ cultor, obsistebat ei multasque illi iniurias atque molestias inferebat. A qua dum discederet, nonnulli civium eius credentes in Cristum secuti sunt eum. Simili modo Perusium, civitas Martis ⁷ cultui ⁸ mancipata, predicacioni eius nullo modo credebatur. Pauci tamen ex civibus ipsius verbum predicacionis suscipientes ad fidem Cristi conversi sunt.

Lectio IV. De ⁹ Plistia vero et Nuceria et Egubio et ulteriore regione et de Nürsia provincia omnibusque montanis, in quibus iudaica supersticio colebatur, nonnulli predicacioni eius credentes ad Cristi gratiam conversi sunt. Quibus ordinavit presbiterum nomine Pystencium, pia religione peditum bonisque moribus adornatum. Et constituit eum in basilica que appellatur Argentea, ut illis assidue missarum solempnia celebraret eosque in fide viriliter confortaret. Ipse autem episcopus discedens inde

1) fol. 36¹.

2) Sp. s. AA. SS.

3) f. Chr. *ib.*

4) Assessina *ib.*

5) praedicacionis *zugefügt* AA. SS.

6) idolorum *ib.*

7) Martis *fehlt* AA. SS.

8) idolorum *zugefügt* *ib.*

9) *Das Folgende bis Post quos Decius (Lect. V) findet sich in den AA. SS. nicht in dem Druck ex breviar. eccl. Hamburg. et Mind., sehr abweichend aber daselbst p. 582 ex Mss. Metensi et Treverensi.*

Trebacium frequenter civitatem visitabat: predicans accolis illius instanter verbum Dei. Qui omnes infra breve tempus, cooperante sancto Spiritu, cristicole facti sunt devotaque mente Domino creatori omnium obsequi ceperunt. Spoletum vero civitas adeo culture Dyane dedita erat, ut ¹nullum eo tempore predicatorem reciperet. Acquisivit autem quidam vir nomine Iohannes beato Feliciano privilegium a Victore, sancte romane ecclesie summo pontifice, quatenus sudario collum eius extrinsecus circumdaretur. Ipse vero pontifex ductus amore ipsius Valentinum dyaconum suum in omnibus ei adherentem, episopum consecravit in Interamnensi civitate, sicut olim ei promiserat. Beatus autem Felicianus quosdam ex eis, quos instruebat presbiteros, consecrabat per diversa loca, qui predicacionis officio vacarent.

Lectio V. Interea dum prefatus cesar de partibus eoys victor rediret in patriam, relicto ibidem Decio, interfectus est haut longe a romanis finibus fraude Philippi, qui post eum imperavit. Sed ipse cum filio suo equivoco non multo post ab exercitu interfectus est. Post quos ²Decius, qui cum Gordiano de Parthis et Persis triumphaverat, imperium sumpsit. Qui cum remearet de partibus Persarum, sanctos viros Abdon et Sennem ³ pro Cristi ⁴ fide dimicantes secum detulit in ⁵Ytaliam. In quos prius persecucionem movens precepit militibus suis, dyre ⁶ custodie illos mancipari, donec Romam vincti cathenis ⁷ ducerentur. Deinde venit ad civitatem antiquam, cui nomen Forum Flamineum ⁸ est, miliario ab urbe Roma centesimo constitutam in agro publico, ibique reperit beatum Felicianum episcopum in Dei laudibus perseverantem predicacionique ⁹ insistentem. Qui ¹⁰ precepit militibus suis, ut eum caperent sibi presentarent. Qui dum ¹¹ oraret in basilica que appellatur Palatini, captus est ab eis et ductus ante eum. Quem Decius cum ingenti furore alloquitur, dicens: ‚Desine a seductione populi mei et fer libamina Diis, antequam tibi ¹² diversa inferantur tormenta.‘ Cui beatus Felicianus inquit: ‚Ab officio predicacionis, donec aura ¹³ me foverit,

1) fol. 37.

2) haec AA. SS.

3) Sennen *ib.*

4) f. Chr. *ib.*

5) per Italiam *ib.*

6) dirae AA. SS.

7) catenis *ib.*

8) nom. Flaminium (Forum *fehlt*) *ib.*

9) ingiter *zugefügt* *ib.*

10) Tunc *ib.*

11) cum *ib.*

12) tibi *fehlt* *ib.*

13) vitalis aura *ib.*

numquam cessabo, dicente Domino per prophetam: „Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam“: Iam ¹ tormenta tua momentanea sunt et diu permanere non possunt, idcirco te ² et illa pro nichilo pondero ³. Tunc iratus Decius iussit eum in eculo suspendi diversisque tormentis lacerari, ut a vera ⁴ fide recederet. Sed vir Domini neque tormentis neque minis territus in fide perseverabat immobilis. Mox precepit apparitoribus, ut traderent eum ⁵ in carcerem cum duobus subregulis Abdon et Senne ⁶, ut videntes multimodas corporis eius penas terrentur. Deinde iussit eos in carcere sequestrari, ne mutuo se possent consolari. Messalina autem virgo sanctissima seviciam persecutoris devitans ad palatinam ecclesiam confugit ibique se latere putavit. Nam singulis quibuslibetque diebus ad carcerem occulte properavit, ubi beatus Felicianus tenebatur in vinculis. Que dum frequenter pergeret, tenta est a militibus illius afflictaque variis tormentis, sed a vera fide, quam a beato Feliciano episcopo acceperat, non recessit.

Lectio VI. Cum autem Kalendarum dies appropinquaret, Decius ob amorem triumphi Romam tendebat precepitque sanctos Dei Abdon et Sennem non solum cathenis vinctos duci ad urbem, verum etiam trahi ad carcerem, Felicianum vero episcopum, quia senex erat nimisque maceratus, statuto tempore nexumque Romam deferri. Qui dum a militibus vinctus traheatur ad urbem, plurima in populo faciebat signa. Sed in ipso itinere migravit a seculo terciodecimo Kalendarum Novembrium, vocante Deo, miliario ab urbe sua tercio haut procul a civitate Egubio que appellatur Iulia, anno scilicet etatis sue nonagesimo quarto, episcopatus vero quinquagesimo sexto. Occurrerunt autem sancto corpori eius omnes gentes, quibus verbum Dei predicaverat, et detulerunt illud cum ingenti laude ad locum delegatum a se iuxta civitatem super pontem cesaris ibique posuerunt. Ubi multimoda choruscant miracula usque in hodiernum diem ad laudem et gloriam Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

1) Nam *ib.*

2) te *fehlt ib.*

3) pendo *ib.*

4) *fol. 37¹.*

5) illum *ib.*

6) *Bis hierher in den AA. SS. ex brev. eccl. Hamb. et Mind., das Folgende wieder ganz abweichend daselbst S. 582 ex Mss. Metensi et Treverensi.*

De sancto Feliciano.

Sequencia.

Ad concentus animemur
et psallendo collemur
piis cum intentibus.
Voces votis subornemus,
ut decenter concordemus
festis in presentibus.

Labor lingue nam frustratur,
si mens voti non equatur
in devocionibus.
Et intentu indicatur
homo dum quid operatur
rebus aut sermonibus.

Unde supplex sit et pia
nostre vocis armonia,
quam sanctis deferimus;
laus nam sanctis cum dicitur,
hec in deo perficitur
hiis aut quid egerimus.

Non putemus ergo vanum,
sanctum si Felicianum
tractemus devotius,
qui sanctorum agminibus
in supremis ordinibus
effectus est socius.

Olym ingum en laboris
hunc provexit ad honoris
tanti magnitudinem.
Et ob curam ampliorem
est adeptus celsiorem
illic gratitudinem.

Quantus ergo sit in celis
Cristi servus hic fidelis,
ex actu colligitur.
Et quod magna mereatur
eius virtus si pensatur,
vere non ambigitur.

Nondum quidem baptizatus
Cristi fidem insperatus
dilexit sincerius.
Cuius mores dum notavit,
sacris scolis hunc aptavit
sanctus Eleutherius.

Postquam vero baptizatur
fide fulgens declaratur
aptus sacerdocio.
Inde virum tam benignum
presulatu fecit dignum
virtutum promocio.

A Victore presul factus
quam solempnes gessit actus
intrans Cristi vineam.
Plantandoque sacram fidem
gentem de qua natus pridem
sanxivit Fulgineam.

Exstirpando vim deorum
ydoltras diversorum
hinc convertit terminorum
docens in Ytalia.
Cur suspensus laceratur,
verba vite ne loquatur,
sed nequaquam retardatur
profiteri talia.

Plures penas sic perpressus,
vinctus Romam est ingressus
obitque mox oppressus
viarum laboribus.
Quem cum laude sepilivit
gens in fide, quam sanxivit,
deus hunc et insignivit
signis pocioribus.

Obhoc pie modulemur
hunc et sanctum deprecemur,

ut in fide solidemur
 eve mortis ne dampnemur
 atroci sententia.
 Sui nobis hoc prestare
 celitus et impetrare
 quem presentem commendare
 nitimur et personare
 dignetur clemencia.

Ympnus.

Ympnizemus canoribus
 ad presens dulcioribus
 Feliciani gloriam
 promentes et victoriam.

Qui post baptismi gratiam
 per omnem efficaciam
 divinis exercitiis
 vacabat et officiis.

Eterni sata germinis
 in multis spargens terminis
 extirpavit demonia
 Cristi docens preconia.

Cur Decius furoribus
 accensus acrioribus
 decrevit per sententiam
 diis dari reverentiam.

Deorum hic sed cultibus
 et regiis tumultibus
 insultans cultum Domini
 plus suasit cuivis homini.

Ob hoc tormentis leditur,
 inde Romam aggreditur
 iterque victus faciens
 defecit mortem paciens.

Huius solempni merito
 regraciamur merito
 propter sui pacienciam
 predignamque clemenciam.

Ergo pari consilio
 deum patrem cum filio
 sancto simul cum pneumate
 laudemus pio neumate. Amen.

Marientlied.

Ave mundi spes Maria,
 Ave mitis, ave pia,
 Ave plena gratia.
 Ave virgo, mater Cristi,
 Tu, que sola meruisti,
 Esse mater sine viro.
 Angelorum imperatrix,
 Peccatorum consolatrix,

Consolare me lugentem
 Et in peccatis me scientem,
 Consolare me peccatorem,
 Et ne tuum des honorem
 Alieno aut crudeli.
 Precor te, regina celi,
 Me habeto excusatum
 Apud Cristum tuum natum,

Cuius iram expavescō
 Et a furore contremisco,
 Nam peccavi sibi soli.
 O Maria virgo noli
 Michi esse aliena,
 Gracia celesti plena,
 Esto custos cordis mei,
 Signa me timore Dei,
 Confer vite sanitatem
 Et da morum honestatem,
 Da, peccata me vitare
 Et quod iustum est amare.
 O dulcedo virginalis,
 Nunquam fuit nec est talis
 Inter natos mulierum.
 Omnium creator rerum
 Te elegit genitricem,
 Qui Mariam peccatricem
 Emundavit a reatu,
 Ipse me tuo peccatu
 A peccatis cunctis tergat,
 Ne infernus me demergat.
 Eya rosa sine spina,
 Peccatorum medicina,
 Pro me Deum interpella,
 Ut me lavet a procella
 Huius mundi tam immundi,
 Cuius fluctus furibundi
 Omni parte me inpingunt
 Et peccati sona stringunt.
 Criste, fili summi patris,
 Per amorem tue matris,
 Cuius venter te portavit,
 Et te dulci lacte pavit,

Te per ipsam oro supplex,
 Quia tu es salus duplex,
 Salus rerum mundanarum
 Atque salus animarum,
 Te nunc precor licet reus,
 Miserere mei Deus,
 Miserere miserator,
 Quia vere sum peccator,
 Tu peccata dele mea
 Et cor mundum in me crea,
 Da spem firmam, fidem rectam,
 Caritatemque perfectam,
 Et concede finem bonum,
 Quod est super omne donum,
 Ut in corde sic compungar,
 Tibi, Criste, quod coniungar,
 Fac me digne manducare
 Corpus tuum salutare,
 Ira tua non me gravet ¹,
 Sanguis tuus sic me lavet
 Extra corpus et in corde
 A peccatis et a sorde,
 Ut, dum instat hora mortis,
 Angelus tunc assit fortis
 A te datus michi custos,
 Qui me locet inter iustos;
 Mors si carnem meam frangat,
 Mors secunda ne me tangat,
 Licet caro computrescat,
 Spiritus in te requiescat,
 Ut dum resurgam te visurus
 Semper tecum sim mansurus
 Per infinita seculorum secula.
 Amen.

1) gravat *cod.*